

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXI. Continens Historiam Generalis Visitationis à Christo In Galilæa
Institutæ, Matth. 9. v. 35. & Marc. 6. v. 6.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

enim manifestum reddidit, se esse illum, cui pater tale nomen dederit, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & inferorum, Phil. 2. v. 10. seque esse eum Dominum, qui cœlum, terram, mare & omnia quæ in eis sunt, fecerit & regat, Psal. 136. v. 6. & qui habeat claves mortis & inferni, Apoc. 1. v. 18. quibus aperiat & nemo elaudat, & vicissim claudat atque aperiat, Apoc. 3. v. 7. Hæc enim miracula omnia numero (ut dictum est) quamplurima, pondere prorsus stupenda, non alieno nomine, sicuti Prophetæ & Apostoli, sed propria virtute effecit atque operatus est.

IV. Si etiam novisse cupiamus, quos Sectatores Christus hoc secundo anno habuerit, deprehendemus Ecclesiam ipsius non mediocria incrementa sumsisse. Unde mox, posteaquam Capernaumum commigravit, vocat quatuor discipulos, quos ex reliquorum numero familiaris sibi conversari voluit, ut omnium & factorum & dictorum *avronas* oculati & auriti testes essent, sicque paulatim ad ministerium Ecclesiæ informarentur. Hisce paulò post adiungit Matthæum, cujus vocatio eo plus admirationis meretur, quia ipse prius nec Johannis nec Christi auditor fuerat, sed ad telonium defederat. Christi autem verbum cor ipsius ita mutat, ut deposito priori vitæ suæ statu, è vestigio Christo vocanti obtemperarit. Inde turba discipulorum & auditorum in tantum excrevit, ut non ausus fuerit apertè civitates & oppida ingredi, nec extra ea quietis causa commodè latitare potuerit. Hoc Christum permovit, ut Apostolorum numerum ad duodecim usque personas extenderet, secundum numerum duodecim Patriarcharum, & duodecim tribuum Israelitarum, quorum ministerio & opera ipse postea, in Ecclesia catholica ex Judæis & gentibus colligenda, uteretur & sublevaretur. Et cogita quale hoc fuerit spectaculum, quocumque Jesus sive terra sive mari tendebat, ubique secum traxit magnam catervam virorum & mulierum, ipsum comitantium. Ut verè Rex Israelis videri potuerit, non quidem *Job* splendorem & pompam, sed ob numerositatem & copiam undique ad ipsum confluentium. Nam & discipuli Johannis, licet nondum plenè Christo manus dederant, tamen hoc secundo anno ipsi æquiores facti, præceptori suo opera Christi in carcere narrarunt. Denique ex optimatibus

quoque aliquos ad se traxit, inter quos primas tenet Centurio Capernauntinus, qui adeò splendidam de Jesu Christo fidei edidit confessionem, ut Christus palam contestatus sit, se in universo populo Israelitico talem fidem non invenisse. Huic adiungi posset Archisynagogus sive Primas Judæorum, Jairus, nisi extrema demum necessitate filiolarum animam iam agentis compulsus Christum adisset. Quanquam dubium quoque sit, an constans in fide permanferit. Præferri itaque ipsi merito debet Gergesenus, qui à Diaboli potestate liberatus, cum Christus illum se sequi nollet, præco gratiæ ejus factus est, in universa Decapoli.

V. Dum Christus in colligenda Ecclesia docendo & miracula edendo assidue laborat, interrim nec diabolus in excitandis adversariis occiditur. Primi sunt ipsius conterranei Nazarethani, qui Diabolo deteriores, eum de supercilio montis præcipitare cupiunt, quem diabolus de pinnaculo templi non ausus fuit detrudere. Hisce succedunt Hierosolymitani Scribæ & Pharisei, qui Capernaum, quo Christus sedem suæ mansionis transtulerat, descenderant, ut eum observarent, ecquid in ipso deprehendere possent, quod ad *avvederov* vel superiores deferrent. Postea cum Jesus in festo Paschatis virum triginta octo annos decumbentem Hierosolymis sanasset, Judæi tantopere in ipsum exardescant, ut occidere eum cupiant. Unde statim finito festo Hierosolyma discedit, & redit in Galilæam, Capernaumum, sed & inde protinus rursus expellitur: quia Pharisei & Herodiani, qui alias capitalibus odiis inter se dissidebant, adversus ipsum conspirarant. Licet verò dubium non sit, horum sanguinaria consilia repressa aliquantum fuisse auctoritate Centurionis, qui se Christo aperta confessione adiunxit: nihil tamen tuti ibi Christus sibi polliceri ausus est, maxime eum etiam cognati de ipso comprehendendo, & privata custodia includendo, consilia agitarint. Quin & Gergeseni è numero hostium Christi non sunt excludendi, cum summum hunc suum benefactorem, qui vias & regionem ipsorum à violentia grassantis Legionis liberarat, protinus rursus ex ditione sua recedere jussissent. Verum ipse in medio hostium & inimicorum suorum dominatus est, sicuti suo loco audiemus.

Sequuntur nunc Acta tertii anni ministerii Christi.

CAPUT LXXI.
CONTINENS HISTORIAM GENERALIS VISITATIONIS
à CHRISTO IN GALILÆA INSTITUTÆ, MATTH. 9. v. 35. &
MARC. 6. v. 6.

RATIO ORDINIS.



Arcus abbreviator Matthæi simul & præmonstrator ordinis, superiori historia, qua Christus sub finem secundi anni ministerii sui denuo pa-

trix suæ regnum Dei annuntiavit, ejusque gratiam ipsi obtulit, continua & indivulsa serie, imò in una periodo hæc verba connectit: *Et circumibat castella in circuitu docens.* Quibus mox subiungit ab

git ablegationem duodecim Apostolorum in Galilæam, qui passim docendo, & doctrinam suam miraculis confirmando, omnibus denuntiant, regnum illud Dei, jam olim per Prophetas promissum & ab omnibus piis expectatum, adesse, modo illud vera fide & grato animo suscipiant, seque eo dignos præsent. Sicque ipse ostendit, huc referendam esse illam historiam, quam Evangelista Matthæus quatuor postremis versibus capitis noni refert, quod Christus civitates & castella circumverit, prædicans Evangelium regni, & sanans

omnem morbum. In qua visitatione, cum videret pastores Judæorum gregem Dominicum profus negligere, occasionem inde sumit, Apostolos ceu novos Doctores, emittendi. Cum ergo nec in reliquis Evangelistis, nec in Matthæo, quicquam inveniatur, quod intervenerit inter tria postrema illa miracula, quæ nuper Capernaumi edita fuerant, & à nobis in tribus capitibus 67. 68. 69. exposita sunt, abunde satis manifestum est, hunc & non alium in Harmonia locum huic historia tribuendum esse.

HISTORIA GENERALIS VISITATIONIS IN GALILÆA INSTITUTÆ.

Matth. 6.

- 35. Καὶ περιήει οἰσὸς τὰς πόλεις πάσας, καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πάσαν νόσον, καὶ πάντα μαλακία ἐν τῷ λαῷ.
- 36. Ἰδὼν δὲ τὰς ὄχλους, ἐσπλαγχνίσθη πρὸς αὐτοὺς, οτι ἦσαν ἐκτελευμένοι καὶ ἐρημμένοι ὡσεὶ πρόβατα, μὴ ἔχοντα ποιμένα.
- 27. Τότε λέγει, τοῖς μαθηταῖς αὐτῆ, ὁ ἰδὼν θερισμὸς πολὺς, οἱ ἔργαται ὀλίγοι.
- 38. Δεήθητε ἄν ἔκωρε ἔ θερισμῷ, ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτῆ.

- 35. Et circumibat Jesus civitates omnes, ac vicos, docens in Synagogis illorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem morbum & omnem languorem in populo.
- 36. Cum vidisset autem turbas, affectu misericordie tactus est erga illos, quod essent destituti ac dispersi velut oves, non habentes pastorem.
- 37. Tunc dicit discipulis, ipsa quidem messis copiosa, ceterum operarii pauci.
- 38. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.

MARC. 6.

9. Καὶ περιήει τὰς κώμας κύκλῳ διδάσκων.

6. Et obambulabat per vicos undique circumjacentes, docens.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ EST PER SE PLANA.

Καὶ περιήει ὁ ἰησοῦς τὰς πόλεις πάσας, καὶ τὰς κώμας ἐκ κύκλου διδάσκων αὐτὰς ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, καὶ θεραπεύων πάσαν νόσον, καὶ πάντα μαλακία ἐν τῷ λαῷ. Ἰδὼν ἰησοῦς τὰς ὄχλους, ἐσπλαγχνίσθη πρὸς αὐτοὺς, οτι ἦσαν ἐκτελευμένοι καὶ ἐρημμένοι ὡσεὶ πρόβατα, μὴ ἔχοντα ποιμένα. Τότε λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτῆ, ὁ ἰδὼν θερισμὸς πολὺς, οἱ ἔργαται ὀλίγοι. Δεήθητε ἄν ἔκωρε ἔ θερισμῷ, ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτῆ.

e Et circumibat a Jesus civitates omnes, ac e vicos undique circumjacentes, e docens a in Synagogis illorum, & prædicans Evangelium regni, & sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo. Cum vidisset autem turbas, affectu misericordie tactus est erga illos, quod essent destituti ac dispersi velut oves, non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis, ipsa quidem messis copiosa, ceterum operarii pauci. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam.

Periocha hujus Historia.

Nazarethani contemtu Christi nemini nocuerunt, præterquam sibiipsis. Si diligentes Prophetarum lectores fuissent, ex Is. 11. v. 1. exinanitionem stirpis Messia cognoscere, si quis scandalo, quod ipsi acceperunt, mederi potuissent. Is enim vaticinatus fuerat, ex radice demum Jesse, virgultum illud benedictum exurgere debere. Verum, quia ipsi negligenter Prophetas legebant, factum est, ut Prophetarum principem contemptum haberent, & ipsi vicissim ab eo contemnerentur & negligerentur. Nam Jesus à Sympatriotis discedens, circumivit omnes civitates & vicos, sive castella, ministerio suo vitam & salutem passim omnibus offerens. Neque enim propterea Christo homines defunt, qui ipsum recipiant & audiant, si maximè uno in loco contemnatur. Imo hic est persecutio-nis fructus, quod ministri Evangelii ex uno loco rejecti, occasionem inveniunt in compluribus ali-

is locis illud propagandi & plantandi, etiam in illis, ad quæ nunquam pervenissent, si absque persecutione fuisset. Sic Act. 8. v. 1. persecutio, quæ post Stephani cædem Hierosolymis exorta est, occasionem præbuit, ut credentes dispersi passim, per regiones Judææ & Samariæ, Evangelium de Jesu Christo disseminarent. Hoc nimirum modo Deus deludit, & irritum reddit immanissimum Diaboli conatum, quo regnum Messia opprimere & excindere cupit. Ut sc. illud ipsum ad ejus propagationem faciat, quod Satanæ ad ejus everisionem molitur. Instituit itaque Christus generalem visitationem in Galilæa, observaturus, num etiam semen verbi, quod præcedenti aîno in agrum Evangelicum sparserat, fructum tulerit. Nisi enim identidem in Ecclesiis, attendatur, quo omnia ordine ac decenter fiant, non tantum exiguus fructus Evangelicæ prædicationis deprehenditur, sed & facile sectæ ac dis-

Harm. Tom. I.

Tt

senfio-

ensiones, cum improba vita, in eas irruere possunt. Sic Samuel per singulos annos circumiens Bethel, & galgala & Masphath iudicavit Israel, 1. Reg. 7. v. 16. Elias item & Elisæus visitabant filios Prophetarum (seminarium suæ Ecclesiæ) in Galgalis, Bethel & Jericho 3. Reg. 2. v. 2. & 3. v. 8. Et Josaphat misit Sacerdotes atque Levitas, habentes secum librum legis, hi circumibant cunctas urbes Juda & populum erudiebant, 2. Paral. 17. vers. 9. In Novo denique Testamento Paulus & Barnabas sæpius ad Ecclesias à se plantatas redierunt, eas visitarunt, animas discipulorum confirmarunt, exhortantes ut permanerent in fide semel accepta, Act. 14. v. 26. & 15. v. 36. v. 4. & 18. v. 23.

Cæterum Evangelista primum indicat, quid Christus hac sua visitatione docuerit & fecerit. 1. *Docuit Evangelium regni*; quo ipso tantum titulus seu inscriptio omnium concionum Christi denotatur. Quarum summam hisce quatuor membris comprehensam fuisse supra cap. 35. hujus Harmoniæ indicatum est. Quod nimirum ex oraculis Prophetarum demonstrat, adesse tempus, quo 1. Vetus Testamentum cum suis typis & figuris sit abrogandum. 2. Vicissim autem regnum Messiæ sit erigendum, cuius beneficio ex potestate Diaboli, à peccato & morte aeterna simus liberandi. 3. Ac proinde vera animi pœnitentia, abjecta prioris vitæ improbitate, veraque fide doctrinam Evangelii amplectendam, atque vitæ integritate honestandam esse. Sic. 4. futurum, ut ipsi regnum cœlorum ingrediantur, beneficiorum Christi, qualia sunt gratia Dei, remissio peccatorum, justitia, adoptio, vita & salus aeterna, fruantur. Ita manifestum sit, Christum Servatorem hoc tertio ministerii sui anno nihil novi docuisse, sed id, quod Baptista Johannes primo anno proposuerat, & Christus ipse secundo anno repetierat, hoc tertio diligentius inculcasse. Quod notare decet contra Magistros, qui habent prurientes linguas & contra discipulos, qui sunt prurientes auribus, 2. Tim. 4. v. 3. similes Atheniensibus, qui ad nihil aliud vacabant, nisi ut aut dicerent aut audirent aliquid novi, Act. 17. v. 21. Contra curiosum hoc studium novitatis Paulus veros Christianos aliter informavit, Phil. 3. v. 1. scribens; Eadem nobis scribere me quidem non piget, vobis autem tutum est.

Proposuit autem Christus hanc suam doctrinam, non in angulis, aut privatis domibus, aut in occulto. Joh. 18. vers. 10. Sed in Synagogis eorum. Etenim, quia Judæi tantum ter annuatim Hierosolymis ad templum Domini ex mandato Dei conveniebant, atque civitates Levitarum, qui populi Doctores antiquitus constituti erant, post reditum ex Babylone interciderant, idè ne populus necessaria institutione interim destitueretur, oppidatim Synagogæ constitutæ erant, in quibus Moyses & Prophetæ per singula Sabbata prælegebantur, Act. 15. v. 21. Quia ergo in Ecclesia Dei omnia debent decenter fieri & secundum ordinem. 1. Cor. 14. v. ult. idcirco nec Christus hunc ordinem turbare voluit. Huic ergo profectio Christi & visitationi Ecclesiarum aliquantum temporis tribuendum erit, ut dubium sit nullum, ipsam una cum Apostolis, quos capite sequenti ad docendum emittet, aliquot menses insumsisse, antequam hanc visitationem per omnes civitates & vicus absolverit. 2. Doctri-

nam suam Christus miraculis obsignavit & confirmavit, adè ut passim omnia majestate miraculorum suorum repleverit ac illustrarit. Dicit enim Matthæus, *sanasse eum τὰ ἄρρωστώματα καὶ τὰ κάκα παλαιὰ, omnem morbum & omnem languorem.* Quæ duo vocabula quomodo secundum magis & minus inter se differant, supra cap. 41. est expositum. Breviter vult dicere, nullam infirmitatem tam tenacem, nullum morbum tam vehementem, vel humanæ industriæ incurabilem fuisse, quem non omnipotenti virtute verbi sui depulerit. Sic Christus aliorum improbitate non commovetur, ut propterea docendi & beneficiandi munus deponat: quin potius illa ipsa ingratitude bene utitur, ut luce verbi divini tanto plures illustrentur.

II. Deinde indicat Evangelista, qualem statum Ecclesiæ Judaicæ Christus in illa sua visitatione invenit. Et quidem vidit singulas Synagogas sub Pontificum & Sacerdotum Hierosolymitanorum hierarchia, Scribis, Phariseis, Senioribus & Archisynagogis speciose institutas, ipsum verò *populum misere dissipatum & disjectum.* Audiebat enim, quam frigide scholarum præsides Moyses & Prophetarum oracula tractarent: quomodo præter nudam lectionem textus nihil quicquam solidæ & salutaris doctrinæ attingerent: de vero usu legis, de pœnitentia, de justificatione fidei, altum erat silentium: interim crepabant traditiones Majorum, frivolas & inanes superstitiones de lavandis manibus ante sumendum cibum, de decimatione menthæ, anethi, cumini, & de consimilibus nugis. Non aliter quàm qualis status Majorum nostrorum tempore fuit sub Papatu. Ibi quoque hierarchia Ecclesiastica speciose erat constituta, sub Pontifice Romano, tanquam capite, per Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Suffraganeos, Abbates, Præpositos, Presbyteros & Diaconos: nihilominus tamen *populus miserabiliter erat dissipatus & destitutus.* Textus quidem Evangelii per singulas Dominicas prælegebatur, loco autem explicationis afferebantur nugæ & fabulæ ex Legendis Sanctorum: loco sincerioris cultus divini dominabatur multiplex Idolomania, superstitiones horrendæ, hypocrisis intolerabilis, cum meris traditionibus humanis. De vero usu legis, de officio Christi, de fide vivificante, de gratuita remissione peccatorum, pisce magis muti erant: vicissim in commendandis meritis sanctorum, operibus Monachorum, dominatione Papæ, & consimilibus confictis reb. s. Si siphiiis ranis loquaciores. Si cui luberet hæc exaggerare, demonstrare poterat, vix ovum ovo similius esse, quàm fuerint tempora Antichristi Romani similia temporibus Pontificum Judaicorum. Quod ergo Salomon dixit Prov. 29. v. 18. Cum defecerit Prophetia, dissipatur populus, illud Christum in hac sua visitatione verum invenisse testatur Matthæus. Dicit enim, *populum fuisse dissipatum ac dispersum tanquam oves non habentes pastorem.* Quod ad res ipsas attinet, non est dubium, ipsum alludere ad 34. Ezechielis, ubi visitatio hæc per Messiam, filium Davidis, servum Dei, instituta describitur. Et si hæc ad caput illud conferatur, non parum lucis tractationi accedet.

Utitur autem hic Evangelista significantibus vocabulis. Primo nominat nos τὰς οὐδας, τὰς βαί, οὐδας significat confusaneam hominum multitudinem

tudinem, & Ammonio teste, hanc propriam habet significationem, quod denotet molestiam. Admonet ergo nos hæc vox naturalis miseriæ, *ἀλλείων*, confutionis, ignorantia, caliginis, tenebrarum & inconstantia, quæ insunt generi humano. Hebrais כרה vel כרות turba dicitur, & nomen habet à confutione, percussione seu sanioso affectu, morbidam nostram naturam arguens. Hæc omnia Christus intuitus est & consideravit. Accessit autem ad naturalem hanc miseriam, *ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι*, deserti, desolati, destituti bonis pastoribus & institutoribus. Possunt enim naturæ vitia recta institutione interdum corrigi: quemadmodum multos gentium, & inter hos ipsum Socratem, salubribus Philosophiæ præceptis, laudabiliter emendatos esse scimus. Et sane Deus legis ministerium instituerat, ut esset *παιδαγωγός* ad Christum, Gal. 3. v. 24. & Sacerdotes ordinarat, ut fidei *παιδεία* & institutione populum Dei adduceret ad agnitionem Christi. Sed lex tum perierat à Sacerdote, & consilium à Senioribus, Ezech. 7. v. 26. Jam enim Sacerdotium venale, & totus Dei cultus in turpem quæstionem conversus erat. Et quidem Scribæ ac Pharisei proficebantur, se esse duces cœcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditores insipientium, magistros infantum, Rom. 2. v. 19. Sed re ipsa nihil minus præstabant, & phylacteria ad ostentationem dilatabant, verum legis sensum corrumpebant, inanibus ceremoniis populum fatigabant, prætextu longarum precationum domos viduarum & orphanorum devorabant: interim in veræ pietatis institutione populus negligebatur, ut recte visus fuerit *ἐκλελυμένος*. Quidam interpretantur *diffolutus, luxuriosus*, qui non iusto ordine constitutus ingrediatur. Nam *ἐκλύει* Græcis significat exsolvere, dissolvere, destituere: in primis autem debilitari, fatiscere, lassescere, languescere, & defici, sicut etiam Aristoteles utitur in Problematis *Ἄλλοι οἱ ἀφροδισιαζόντες ἐκλύονται καὶ ἀδενέσκει ἄνευται*, deficient viribus & languescunt. LXXII. usi sunt hoc verbo, quando scriptura loquitur de dissolutione manuum, sicut invenitur 2. Sam. 4. v. 1. Esa. 13. v. 7. Jer. 38. v. 4. Esdr. 4. v. 4. & respondet Hebræo פרה quod significat remissum fieri, torpendo inclinari & deorsum demergi. Item de dissolutione pedum, sicuti Deus Jeremiæ dicit cap. 12. v. 5. Si cum pedibus cucurristi, & *ἐκλύσασε*, & defatigarunt te, ubi correspondet verbo פרה quod etiam significat languere, ægrè ferre, dissolvi viribus, & omni virtute corporis deficere. Usurpatur etiam de mollitie cordis, quæ ex externo terrore accidit, Deut 20. v. 3. ad eos, qui in aciem producuntur, dicitur, *μὴ ἐκλύσαστε*, ne mollescat cor vestrum, ut timeatis, & ne expavescatis, ubi habetur verbum פרה quod significat, mollem fieri instar ceræ, quæ ad ignem vel Solem posita statim liquefcit & diffuit. Ostenditur itaque hoc vocabulo, in populo ingens fuisse salutis desiderium, ut nullis laboribus nec sumptibus parsuri fuissent, si modo bonorum Doctorum copia ipsis concessa fuisset. Verum quia partim inscitia, partim pravitate suorum præsidum per devia ducebantur, ad ceremonias & traditiones humanas, in quibus mera defatigatio, & inutilis labor existit, paulatim manus & pedes lassabantur in officii pietatis, & ipsum cor languescere, non aliter, quam

Harm. Tom I.

quemadmodum subtracto necessario alimento hominis vires deficiunt, ut tandem in periculum animi deliquium incidat. Hinc Matth. 15. v. 32. hoc verbum usurpatur de illis, qui triduum commorati fuerant apud Christum, & periculum erat, ne si jejuni dimitterentur, in via deficerent. Quapropter Lutherus recte germanice reddidit, *Sie waren verschmacht*. Ezech. c. 34. neutro verbo utitur, vers. tamen 16. dicit, *τὸ ἐκλείπον ἐν ὄνομα*. Infirmitatem consolidabo.

Quod in sensu cum hoc verbo coincidit. Addit Evangelista, quod non tantum fuerint *ἐκλελυμένοι*, sed etiam *ἐρριμμένοι*, *dispersi velut oves, non habentes Pastorem*. In ovibus mira quædam simplicitas invenitur, quæ fortassis laudem mereretur, nisi accederet stupiditas, socordia, improvida securitas, subitanea trepidatio in periculis, fuga præceps, & quod se ipsas fere passim lupis atque feris in prædam obijciunt. Eadem est conditio hominum, etiam eorum, qui optimi videri volunt. Nam quo magis absunt à nocendi studio, eo minus sunt providi & circumspecti: securi itaque quidvis admittunt, & ubi in pericula ex improvviso incidunt, animo ita consternantur, ut incerti fluctuent, & ex uno errore in alium incidant, donec tandem infernali lupo, immortalium hostium præda fiant, & in interitum præcipitentur. Agnovit hoc in se ipso David, unde in Ps. 119. v. 176. dicit, Erravi sicut ovis, quæ periit. Et Esa. 53. v. 6. de omnibus pronunciat: Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Quemadmodum ergo ovibus pastores adduntur, qui eas colligant, collectas ducant & pascant, pedo suo coerceant & tueantur, denique bene pascas in stabula reducant. Sic Deus in populo suo Israelitico ordinavit Sacerdotes & Levitas, qui verbo suo populi pedes dirigerent in via Domini, ejusdem pabulo animas eorum pascere, eodem, ceu baculo vel pedo improstores & lupos arcerent, disciplina denique severiorum virga carnis petulantiam coercerent. Labia enim Sacerdotis custodire debent scientiam & legem, (quæ est virga Dei & baculus ejus, Psal. 23. v. 4.) requirent ex ore ejus Malach. 2. v. 7. At verò Judaicos Pastores CHRISTUS servator tales inveniebat, quales Ezechiel cap. 34. prolixè descriperat, qui pascebant semetipsos, lac ovium comedebant, lanis earum operiebantur: quod pingue, occidebant: quod infirmum, non consolidabant: quod ægrotum, non sanabant: quod contractum, non alligabant: quod abjectum, non reducebant: quod perierat, non quærebant: & cum austeritate atque potentia imperabant iis. Verè igitur dicit Evangelista, fuisse *τὰς ὄχλους ἐρριμμένους, populum dispersum, instar ovium, pastorem non habentium*. 3. Reg. 13. v. 24. 25. & 26. usurpatur hoc vocabulum de cadavere Prophetæ illius, quem leo occiderat, in viam projecto, quod nondum curatum, neque honeste compositum, erat. Sic Jer. 36. v. 30. Deus de Jehoiacim Rege Juda pronunciat, erit cadaver ipsius *ἐρριμμένον* projectum ad æstum, in die, & ad gelu in nocte. Et cap. 14. v. 16. de populo dicit: erunt *ἐρριμμένοι* projecti in viis Jerusalem, præ fame & gladio, & non erit, qui sepeliet. Hoc modo LXX. Interpretes hoc vocabulum usurparunt. Eo tamen miseria populi Judaici hoc loco denotatur. Nemo eos curabat, neque

T t t 2

neque quisquam intra stabula colligebat, quod si ovibus accidat, vel tandem occumbunt. Ita Judæi incerti de vero Dei cultu vagabantur, errabundi de Dei gratia dubitabant, secundum carnis desideria vivebant, in tenebris & mortis caligine, oberrabant. Hinc reperti sunt inter ipsos, qui angelos bonos negabant, summam felicitatem in hujus vitæ voluptatibus statuebant, nullam resurrectionem superesse opinabantur, & nec impiis post hanc vitam pœnas, nec piis præmia expectanda contendebant. Hanc miseriam populi miseriam Dominus videns, & immitem illam miserorum expilationem, simpliciorum seductionem, seductorum spiritualem jugulationem penitus considerans, totis misericordiam visceribus commovetur. Singularem enim emphasin esse verbi *εὐαγγέλιον*, quo Evangelista hic utitur, etiam supra cap. 24. Harm. dictum est. Neque enim saltem simplicem aliquam commiserationem denotat, sed talem, qualis fuit illius matris, cujus filium Salomon vivum dividere, & inter duas mulieres partiri iussit, 3. Reg. 3. v. 26.

III. Porro quia Deus apud Ezechielem cap. 34. v. 15. promisit, quod ipse velit pascere, accubare facere oves suas: quod perierat, requirere: quod abjectum erat, reducere: quod contractum fuerat, alligare: quod infirmum, consolidare: quod pingue & forte, custodire, & insuper suscitare super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum suum David, qui est Christus Jesus, ideo Evangelista hic ostendit, quomodo & quanto studio hic *de γένει* *πλου* de salutaribus huic malo remediis adhibendis cogitarit. Initium facit à precatione. Et quidem Luc. 6. v. 12. cum duodecim Apostolos electurus esset, quoque oravit, ubi integram noctem insomnem traduxit, & in oratione perseveravit: Sed tamen solus oravit. Hic verò *discipulis*, qui eum in hac visitatione comitabantur, dicit, *Orate*, atque sic publicas preces quasi indicit. Etenim constituit electos suos Apostolos emittere in universam Judæorum terram, qui ceu *σύνεργοι* ipsius, miseri, desolati & dispersi populi salutem procurare juvent. Atque sic suo exemplo ostendit, quanta solitudine & cura Ecclesia in vocandis & eligendis verbi præconibus versari debeat. Certe Actor. 1. v. 24. legimus, quàm sollicitè Apostoli orarint, cum in locum Judæ alium successorem eligere vellent. Et cap. 13. v. 2. scribitur, quod Antiocheni præter publicam & seriam divini nominis invocationem jejuniis instituerint, cum Paulum & Barnabam ad constituendas Ecclesias gentium emissuri essent. Singularem itaque commendatione dignus est mos ille, quo celebriores aliqua Ecclesiæ, si quando verbi ministro destituuntur, per aliquot septimanas, singulis concionibus publicas preces subjiciunt, quibus à Deo petunt, ut pium, fidelem, sinceram confessioni addictum, vero zelo secundum scientiam præditum, & honesta vita pollentem Pastorem ipsis largiatur. Tales preces sunt summe necessariae. Alias enim vel iudicio facile aberratur: vel privatis affectibus nimium tribuitur: unde Deus offenditur, ut etiam idoneis personis suam gratiam subtrahat, nec ipsorum laboribus felicem successum largiatur. Et quam putabimus aliam subesse causam, ob quam sæpe numero animorum conjunctio, quæ inter Doctores & Auditores

vigere debet, tam cito & tam facile dissolvatur, etiam inter eos, qui in primo congressu conjunctissimi futuri videbantur. Præterquam, quod neglectis precibus, cœleste illud gluten, quo animi firmissime junguntur & conglutinantur à Spiritu Domini non impetrarunt.

Verum prodest audire, quibus verbis Christus hæc preces indixerit. *Ipsa quidem messis copiosa*, inquit, *openurii verò pauci*. Ut *messis* metaphora, Christus hoc loco uteretur, permovit eum circumstantia temporis. Tum temporis enim, cum Christus hanc Apostolorum ablegationem in universam Judæorum terram meditabatur, apud ipsos secunda messis erat, paulo ante festum tabernaculorum. Cæterum per *messis* vocabulum Christus hic metaphoricè intelligit non consummationem seculi, sicuti in parabola de Zizaniis, Matth. 13. v. 39. sed homines veræ religionis cupidos, & ad conversionem maturos. Eodem modo, quo Christus hac metaphora etiam usus est, Joh. 4. vers. 35. Monere ergo voluit Christus suos discipulos, jam magna utilitate Evangelium doceri posse, siquidem plurimi frequenter & certatim id amplecturi essent, non secus ac si quis in maturam segetem falcem immittat. Animi enim Judæorum scriptis Prophetarum & prædicatione Joannis ita erant præparati, ut avidissimè Messiam venturum expectarent. Sic ergo tempus erat, ut ipsi prædicatione Evangelii in horreum seu Ecclesiam Messis colligerentur. Et observandum venit, Deum omnibus seculis & ætatibus suas quasi concedere messes. Nam etiam hodie homines passim, maxime ubi iugo Pontificio premuntur, avidè veritatem sitiunt, libros Evangelicos legunt, de negotio religionis conferunt, etiam idiotæ. Hoc sicubi Doctores observant, occasionem promovendi salutem hominum non debent negligere, ne futuro tempore calva ipsis ea reddatur. Etenim sicuti post messem rigida hyems subsequi solet: ita fere, quando ejusmodi occasiones præterierunt, insignes subsequuntur commutationes, ut tanta felicitate vel non docere, vel non audire verbum Dei amplius liceat. Exempla ætatum id declarant. Prophetarum messem in Israele excepit mox captivitas, & Assyriaca & Babylonia. Messem Christi miseranda calamitas populi Israelitici, per Romanos dissipati, venundati, occisi. Apostolorum & Sanctorum Patrum messem, Antichristi utriusque, tam Orientalis quàm Occidentalis tyrannus plus quàm Satanica. Nostri itaque seculi messem gratis animis agnoscamus, occasionibus præsentibus utamur, doceamus intrepide, verbum audiamus & discamus ardentè, in hac serenitate radiantis Solis metamus diligenter, manipulos colligamus mature, quis scit quando hyems sit secutura? Hoc dictum sit tam auditoribus quàm ministris, tam segetibus, quàm operariis. Quorum tempore Christi fuerunt pauci, ob causam prius indicatam. Nunc fere inversus est rerum ordo. Messis enim aliquibus in locis apparet rarior, tenuior, parcius operarii autem multi. Quia plurimi inveniuntur, qui operam suam offerunt Ecclesiæ, cui docendo libenter inservire vellent, difficulter autem locum inveniunt, in quo falcem doctrinæ mittere, segetem demetere, & in horreum Christi invehere possint. Quanquam multi etiam inveniuntur operarii

operarii mali, Phil. 3. v. 2. & δόλο: seu dolosi, qui se transformant in Apostolos Christi, 2. Cor. 11. v. 13. Quapropter rogandus Dominus messis, ut ipse extrudat operarios in messem suam.

Dominus messis non est alius, quam Iesus Christus, qui sedens ad dextram Patris dona dat hominibus, & alios quidem dat Apostolos, alios verò Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, Eph. 4. v. 11. Ab hoc piis precibus efflagitemus, ut bonos fidos & ἀειπαρονοήτους operarios, qui non erubescant, sed rectè sermonem veritatis secent, 2. Tim. 2. v. 15. extrudat in suam messem. Et si enim hic Dominus nunquam curam pro Ecclesia sua deponat, pro omnibus tamen suis donis exorari vult. Et quia hoc est præcipuum donum, habere occasiones salutis sive docendæ sive discendæ, pro eo præcipuè vult exorari. Et hoc in iungit potissimum suis discipulis, hoc est, piis, qui gravitatem huius negotii agnoscunt & perpendunt. Hi ergò piis precibus Dominum sollicitent, ut fideles operarios mittat: ut Spiritum & virtutem suam ad prædicationem Verbi largiatur: ut ostium sermonis aperiat: Col. 4. v. 3. ut virtutem voci suæ largiatur: Psal. 68. v. 34. quo fructificet semen verbi, Marc. 4. v. 26. sermo Dei currat & glorificetur, 2. Thess. 3. v. 1. atque quàm plurimi Christo lucrifant & salventur. Cumque assidua iusti deprecatio coram Deo multum valeat: Jac. 5. v. 16. non est dubium, quin à benignissimo messis Domino exaudiatur.

Vocabulum ἐργάτης Operarii, fideles verbi ministros admonet, quale sit ipsorum munus, & qualiter in eo versari debeant. Vocantur operarii in messem, non ad otium, desidiam, voluptates, dignitates, sed ad laborandum & opus Domini sui faciendum. Hi ergò ante omnia expectent legitimam vocationem, nec se Ecclesiis contra earum voluntatem obrudant, ne ipsis aliquando Dominus messis objiciat illud Jer. 23. v. 21. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Rom. 10. v. 15. Deinde in munere commissio sollicitè versentur. Nam res aliena ipsis est concredita, de qua aliquando Domino suo rationem reddent. Sicut ergò frugi agricola occasiones tempestatum diligenter attendit: ita ipsi quoque oportunitatem metendi & animos flectendi non negligant. Et si maxime Deus successum felicem in ministerio concesserit, non tamen animo efferantur, sed humilitati studeant. Siquidem totus proventus & fructus non ipsorum est, sed Domini messis, cui soli desudatur, & omnis opera impenditur. Interdum etiam in media messe oriuntur tempestates, rotantur turbines ventorum, decidunt improvise pluvie grandine mixtæ: & si maxime tranquilla sint omnia, ipsum tamen metendi opus per se laboriosum est, coguntur messorum sustinere æstum Solis & onus totius diei, quæ omnia efflagitant hominem industrium, non umbræ & otio assuetum. Sic munus docendi in Ecclesia non minores sustinet labores: hi subjecti sunt cruci & afflictionibus: obiecti tyranni & persecutionibus: sustinent intus terrores, foris pugnas: & si maxime tranquilla sint

omnia quotidiana tamen sollicitudo pro Ecclesia non medio criter exercet fidelem Doctorem. Vide Paulum 2. Cor. 11. Hanc muneris gravitatem & virium suarum imbecillitatem quidam perpendentes, effugiam quæsierunt, nec manum operi admoveere voluerunt, sicut de Moyse Exod. 4. v. 10. & de Jona cap. 1. v. 3. legimus. Jer. 20. v. 7. libentius manum semel ad motam retraxisset, Luc. 9. v. 62. Et quia tales intellecta muneris difficultate abstinere mallerent, ideo Christus hic utitur vocabulo ἐκβάλλειν extrudere, cujus vera emphasis notanda est. Sæpe quidem usurpatur de violenta expulsiōne: ut quando Christus dicitur eiecisse dæmonium, Luc. 11. v. 14. aut ementes & vendentes eiecisse ex templo: Matth. 21. v. 12. Sic vinitores eiecerunt filium occisum extra vineam. Matth. 21. v. 39. Sic etiam usurpatur de repudio, Lev. 21. v. 7. & Eisd. 10. v. 3. quæquam hic quædam exemplaria habeant verbum ἐξαρᾶν. Item de exulibus 1. Reg. 26. v. 19. & 3. Reg. 2. v. 27. Et hæc tenus significatio non quadrat. Nam Paulus dicit 1. Cor. 9. v. 17. Si volens hoc ago, mercedem habeo. Si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Sed sequentia exempla congruunt. Sicut Exod. 12. v. 33. Pharao & Ægyptii urserunt & coegerunt Israelitas, ut festinanter exirent ex Ægypto. Moyses, Jonas, Amos, Jeremias, maluissent à ministerio abstinuisse: ideo etiam se excusarunt. Sed Dominus extrusit eos. Sic caro sæpenumero multa nobis objicit, ob quæ libentius disputationem cum Deo vocante institueremus: sed Deus fortior est, & prævalet arcana sua vi, Jer. 20. v. 7. ut posthabitis omnibus rationibus Deo vocanti obtemperemus. In huiusmodi significatione scriptura hoc verbum usurpat, Marc. 1. vers. 12. Spiritus ἐκβάλλει, expellit Jesum in desertum. Luc. 8. v. 54. Christus in ædibus Jairi eiecit omnes, ἐκβάλλων, non turbulenter, sed verbis persvasoriis commovens, Er hiesi ste hinaus gehen. Joh. 10. v. 4. Pastor oves suas ἐκβάλλει, emittit, unamquamque in ordine suo. Matth. 12. v. 35. Bonus homo ex bono thesauro cordis ἐκβάλλει, profert bona. Hæc & similia exempla non violentam ejectionem indicant, & huic loco pulcre conveniunt, dum ostendunt, Deum suos operarios necessariis donis instruere, postea Spiritus impetu donare, ut quisque suo loco & ordine proferat ea, quæ ad promovendam messem dominicam, & implendum cœleste Dei horreum facere videntur. Sic metaphora messis hoc loco multa utiliter monet. Et si quis prolixitati studere vellet, posset hic introducere & docere, quomodo tota Ecclesia esset γεωργιον θεῶν, arum & agricolatio Dei, 1. Cor. 3. v. 3. quomodo unus ex operariis arum Dei aratro profcinderet, alius ingestio fimo solum fertile & pingue faceret, tertius plantaret, quartus rigaret, quintus in labores aliorum falcem mitteret, & segetes demeteret, sextus collectas fruges in horreum Dei convehret & reconderet, quæ omnia & singula recte accommodata non infructuose explicari possunt. Sed nobis sufficit digitum ad summam rei intendisse.

CAPUT LXXII.

CONTINENS EMISSIONEM DUODECIM APOSTOLORUM, UT DENUNTIENT ADESSE MESSIAM, ILLUDQUE SUUM PRÆCONIUM MIRACULIS CONFIRMENT, MATTH. 10. V. 1.

MARC. 6. v. 7. LUC. 9. v. 1.

RATIO ORDINIS.

DE ordine hic nullum dubium esse potest. Etenim postquam Christus in generali illa sua visitatione miserimum populi Judaici statum vidisset, quod nimirum animi plerorumque, lectione prophetarum, & prædicatione Johannis ad excipiendum Messiam essent quidem excitati, & maturi, qui in Ecclesiam Messiae, ceu in ipsius horreum, colligerentur: Verum Sacerdotes, Scribæ & Pharisei altum sterterent, de ventre suo alendo, non autem de Messia inquirendo solliciti: Unde ipse, commiseratione populi ductus, discipulos ad publicas preces exhortatus est: mox ipse manum operi admovet, & duodecim suos Apostolos, quos jam biennium eam ad rem instituerat, ad prædicandum regnum Dei emittit. Ministerium ergo, quod Judaici illi pastores non recte curabant, aufertur ab istis, & datur Apostolis, sicut prædictum fuerat, Jer. 23. v. 33. Projiciam quippe vos, dicit Dominus, & dabo vos in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ nunquam oblivione delebitur. Et Ezech. 34. v. 10. Audite Pastores verbum Domini, ego requiram gregem meum de manu vestra, & cesare faciam vos, ut ultra non pascatis gregem meum, nec pascatis amplius vosmetipsos. Quia verò hæc emissio fuit

peculiaris, certi temporis & loci, ideo etiam certa quædam & peculiaria ipsis præscribit mandata, quæ ad universalem illam emissionem, post passionem factam, ubi ad perpetuum Apostolatam mittuntur, nihil faciunt. Ideò observare decet, quod ea, quæ paragraphum illum: *Ecce ego mitto vos sicut oves, &c.* sequuntur, non ad primam hanc missionem, sed ad illam, quæ post resurrectionem facta est, pertinent. Hac verò occasione à Christo hac vice adjecta videntur. Quia successus hujus primæ missionis futurus erat placidus, sicut etiam Luc. 10. v. 17. septuaginta cum gaudio revertuntur. Neitaque Apostoli existimarent, cursum ministerii semper fore talem, addidit etiam ea de persecutionibus, quæ tamen pertinebant ad futuram ultimam emissionem, ut sic maturè ipsis ista prædicarentur, ipsique paulatim ad duriora illa tempora præpararentur. Aut certè, si hæc illo tempore non fuerunt dicta, sicuti Lucas pleraque alibi repetit, tamen à Matthæo studiose hic in unum locum sunt collecta, ut sic Lector conjunctim consideraret ea, quæ Christus Apostolis suis univèrsim, diversis locis & temporibus, instructionis loco præscriperat. Nos quoque Matthæum secuti uno capite ista omnia complectemur, lectorem in iis, quæ alibi repetuntur, & hic sunt explicata, ad hunc locum remissuri.

HISTORIA PRIMÆ MISSIONIS DUODECIM APOSTOLORUM AD EVANGELIZANDUM.

MATTH. 10.

1. καὶ προσκαλεσάμενος τὸς δώδεκα μαθητὰς αὐτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν ἢ πνευμάτων ἀκαθάρτων, ὥστε ἐκβάλλειν αὐτὰ, καὶ θεραπεύειν πᾶσαν νόσον, καὶ πάσαν μαλακίαν,
2. τῶν δὲ δώδεκα Ἀποστόλων τὰ ὀνόματα ἐστὶ ταῦτα: πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, καὶ Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, Ἰάκωβος ὁ υἱὸς Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ.
3. Φίλιππος καὶ Βαρθολομαῖος, Θωμᾶς καὶ Ματθαῖος ὁ τελώνης, Ἰακώβος ὁ υἱὸς Ἀλφαίου, καὶ Λεβθαῖος ὁ ὀπτικηθεὶς Θαδδαῖος.
4. Σίμων ὁ καναναῖος, καὶ Ἰudas ὁ Ἰσκαριώτης, ὁ καὶ πρῶτος ὄνομα αὐτοῦ.
5. Τότες τὸς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς, παροργίζοντας αὐτοῖς, λέγων: εἰς ὁδοὺ ἐθνῶν μὴ ἀπελθῆτε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρείτῃ μὴ εἰσελθῆτε. (οἶκος Ἰσραὴλ.)
6. Πορεύεσθε ἢ μάλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα.
7. Πορεύεσθε ἢ κηρύσσετε λέγοντες, ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ.
8. Ἀσθενεῖς θεραπεύετε, λεπρὸς καθαρῖτε, νεκροὺς ἐγείρετε, δαιμόνια ἐκβάλλετε, δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. (τὸς Ζῶνας ὑμῶν.)
9. Μὴ κτήσησθε χρυσόν, μηδὲ ἀργύρον, μηδὲ χαλκὸν εἰς ἔμπορον.
10. Μὴ πήραν εἰς ὁδόν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον. Ἄξιος γὰρ ὁ ἐργατὴς τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστίν.
11. Εἰς ἕνδεκα ἢ ἐνδεκάτῃ ἡμέρᾳ εἰσελθῆτε, ἐξετάξατο,

1. Et concessit duodecim discipulis suis, dedit eis potestatem adversus spiritus immundos, ut eicerent eos, & sanarent quemvis morbum, & quemvis languorem.
2. Porro duodecim Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui vocatur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus filius Zebedæi, & Johannes frater ejus,
3. Philippus & Bartholomeus, Thomas & Mattheus, qui fuerat publicanus, Jacobus filius Alphaei, & Lebbeus cognomento Thaddeus,
4. Simon Cananaeus, & Judas Iscariotes, qui & primus illum.
5. Hos numero duodecim emisit Jesus, quibus præceperat dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne ingrediamini.
6. Sed ite potius ad oves perditas domus Israel.
7. Profecti autem prædicate, dicentes: Appropinquavit regnum caelorum.
8. Infirmos sanate, leprosos mundate, mortuos suscite, demonia ejicite: gratuito accepistis, gratuito date. (menis vestris.)
9. Ne possideatis aurum, neque argentum, neque es in erum.
10. Neque per am ad iter, neque bimas tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Nam dignus est operarius cibo suo.
11. Sed in quatuordecim, civitatem aut viciniam fueritis

τῆς γῆς